



Conradinus filius fuit Conradi ducis Suevæ,
& nepos potentissimi Cæsarisi Friderici 2. Is
multis uirtutibus præditus patri in Suevæ ducatu
successit, atq; maximæ spei iuuenis ibidem cū lau-
de præfuit. Cum autem fratres eius mortui essent,
atq; ipse solus ex illustrissima Suevorum ducū fa-
milia superesset, crebris legationibus ab Italiæ urbi-
bus euocatur, ut auitum & paternum regnum, tan-
quam legitimus hæredes suscipiat. Itaque tandem
anno Christi 1266 matris consilio Italiam petijt, Lu-
douico Bauariæ duce auunculo, atq; Friderico fi-
lio Hermanni Austræ ducis eum comitatibus. Cū
in Italiam uenisset, Veronæ ac Mantuæ maxima o-
mnium gratulatione suscipitur. Ibi Ludouicus specie comitorum Augusta-
lii in Germaniam reuertit. Conradinus autem comitantibus Longobardis,
Suevis, & Tuscis rectâ Romam peruenit, commorante tum pontifice Viter-
bij. In eo loco haud aliter quam Augustorum proles, atq; Apuliæ, Campaniæ,
Calabriæ, & Siciliæ legitimus hæres à senatu populoq; Romano, atq; à Hein-
rico Hispano regis Castiliæ filio, maximo honore suscipitur. Confluentibus
deinde Italæ proceribus cum Gerardo Pisano præfecto Campaniam intrat,
aq; cum Carolo pseudorege manus conserit. Cum in ijs locis Caroli copiæ
profligarentur, ipse retrocessit, & cum paucis fugam simulauit. Interea Con-
radini milites pro uictoribus se agunt, & ad impedimenta diripienda solutis
ordinibus conuertuntur. tum etiam Gallorum sarcinas diripiunt, & hostium
opima spolia legūt. ipse Conradinus cum paucis relicitus erat, qui armis sepo-
sitis corpora curabant.